

(1246) 1247, gener, 14

Arbitratge de Guillem de Planes, canonge de Sant Feliu de Girona, en causa entre Guillema de Torrent, piatera de Sant Daniel, i Pere i Guillem de Prat, sobre prestacions a fer pel mas Planes i els masos Basset, Angelats, Reixac, Codines, Serra i Riera i la borda de Cararac, de la vall de Bas.

ASD núm. 142, perg. orig., 555 x 150 mm, carta partida.

Mota questione inter dominam Guilielmam de Torrente, piateriam Sancti Danielis, ex una parte ac Guilielmum de Prato super uniuersis capitulis in libello insertis ex altera, utraque pars causam ipsam, licet esset longo tempore coram iudice uentilata in manu ac potestate Guilielmi de Planis, canonici Sancti Felicis Gerunde et Baldouini de Rouira posuerunt ipsos in arbitros eligendo, compromittentes sub pena .ce. solidorum malgorensium se ratum et firmum habere quicquid ipsi super ipso negocio ducerent faciendum; qui quidem auditis et intellectis rationibus utriusque partis, et uisis hinc inde instrumentis fuerunt unanimiter arbitrati sub pena antedicta. Imprimis dixerunt quod Petrus et Guilielmus de Prato antedicti silihinem tascharum tocius honoris quod dicta domina Guilielma ratione piaterie habebat in Basso, excepto manso de Plano quam consueuere accipere et redempciones mulierum uirginum ac uicariam quam in tribus mansis de Finestris, scilicet in manso de Basset et de Angelatz et in manso de Rexag et in manso de Cudinis et in manso de Serra et in manso de Riera et in borna de Carerago, que omnia ab antiquo iniuste receperunt per se ac suos successores, reciperent perpetuo ac etiam diffinirent dicte domine Guilielme et monasterio antedicto. Item dixerunt quod boschi et artige que in libello erant posite, dicti Petrus et Guilielmus recognoscerent tenere ad fidelitatem et seruicium piaterie Sancti Danielis, et quod clarent predicte domui et successoribus tascham et medium de blado seu uino quoque [...] pro censu annuatim in festo Natalis Domini .VIII. denarios, et hoc saluo iure quod dicta domina [...] is se quecumque stabilimenta de iure uel de facto competit in quibuslibet hominibus de boschis seu artigis antedictis, que stabilimenta posset reuocare si uellet uel stabilire de nouo. Item dixerunt quod domina Guilielma antedicta laudaret et concederet Petro et Guilielmo antedictis hominibus dicti monasterii et suis ipsorum condaminam quam consueuerunt ad laboracionem tenere, de qua condamina clarent monasterio antedicto in perpetuum tascham fideliter tam de blado quam de racemis, excepta barcheria, de qua donent tascham et medium et pro censu annuatim in festo Natalis Domini .X. solidos monete curribilis et .I. par caponum et .I. par de fogaciis caualerils. Preterea dixerunt quod predicti Petrus et Guilielmus et sui perpetuo de cetero facerent continuam residenciam seu stagium cum tota familia sua et cum omnibus rebus suis habitis et habendis in honore Sancti Danielis, scilicet in ipso stallo quod est in capite condamine uel in ipsis domibus quas habent in podio Sancti Stephani, que omnia tenentur pro monasterio antedicto et dant pro ipsis domibus de Podio pro censu annuatim in festo Natalis Domini .II. paria caponum. Item dixerunt quod domina Guilielma antedicta laudaret et concederet ipsam baiuliam mansi de Serra et mansi de Riera et mansi de

Plano et borde de Carerago cum omnibus eisdem prouentibus, in qua baiulia predicti acciperent suam retrodecimam, tam de omnibus taschis tam bladi quam racemorum que de dictis mansis seu borda exibunt, et predicta acciperent pro baiuliuo in manso. de Serra .I. par gallinarum et .I. par fogaciarum et .n. canadas de uino et in manso de Reria tantumdem, et albergam duarum personarum in quolibet ipsorum mansorum excepte manso de Plano et in borna de Carerago [...] consueuerunt et accipiunt iouas scilicet tempere seminandí, et operas tempere triturandi et colligendi uineas, et tantum prouideal;lt eis sicut consuetum est, exceptis fogaciis quas iouerii consueuerent comedere. Item dixerunt quod totum legumen et canabum dictorum mansorum et borde predicti reciperen sicut ab antiquo recipere consueuerunt et quod ea haberent ex dono proprio mmonasterii antedicti. Item dixerunt quod domina Guilielma antedicta remitteret ac diffiniret Petro et Guilielmo antedictis hominibus suis quascumque demandas eis faciebat in libello eisdem dato et sine libello quocumque modo usque hodie. Item dixerunt quod predicti Petrus et Guilielmus de Prato et sui de cetero non possent aduersus exigere, requirere seu demandare in hominibus seu honoribus dictorum .m. mansorum et bordarum nec in aliis honoribus seu hominibus, que omnia dictum monasterium habet in uicecomitatu de Basso, nisi hoc tantum quod supradictum est. Dixerunt preterea quod dictum monasterium non faceret eisdem questiam aliquo tempore. Et ego Guilielma predicta, per me et per omnes meos succedentes, cum consilio et uoluntate domine Berengarie abbatisse eiusdem et tocius conuentus nostri laudo et concedo omnia predicta, et promito sub pena antedicta quod in toto uel in parte contra non ueniam, imo obseruabo a principio usque ad ultimum ut supradictum est, ita tamen quod Petrus et Guilielmus predicti et sui perpetuo predicta omnia pro me ad fidelitatem et seruicium mei et monasterii antedicti teneant et possideant in pace dum mihi et dicto monasterio directum firmant et iuris complementum facere pro predictis omnibus ualebunt. Et nos Petrus et Guilielmus predicti, per nos et per omnes nostros uobis domine Guilielme promittimus predicta omnia semper facere et nullo tempore in toto uel in parte contrauenire et ad hoc nos obligamus sub pena antedicta, promittentes uobis etiam esse fideles et legales tam de propriis nostris et nostrorum quam de re bus nostris habitis et habendis et hec omnia iuramus super sancta .IIII.or Dei Euangelia corporaliter tacta attendere, complere et perpetuo inuiolabiliter obseruare.

Actum est hoc .xvnn. kalendas februarii anno Domini .MCCXL. sexto.

Sig+nu Petri, sig+num Guilielmi de Prato, qui supradicta omnia firmamus, concedimus et laudamus. Sig+num Guilielme de Torrente, piaterie predicte qui supradicta laudo. Sig+num Baldouini de Rouira, qui hoc firmo (s. man.) Guilielmus de Plano predictus subscribo. + Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa, qui hoc firmo saluo iure nostro in omnibus*. Sig+nm Raimunde de Palaciolo, infirmarie. Sig+num Berengarie de Palagreto, priorisse. Sig+num Ermessendis de Darniciis, cellararie. Sig+num Bernarde de Sancto Stephano, sacristane. Sig+num Saurine de Sancto Andeolo. Sig+num Cecilie de Fuxano. Sig+num Beatricis de Palera subpriorisse, monialium Sancti Danielis, qui predicta firmamus. Sig+num Berengarii de Pedis. Sig+num Bernardi de Campins. Sig+num Guilielmi de Ruuira.

Sig+num Raimundi de Mercatallo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici
Gerunde notario. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-
1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 290-293